

# EPISTULA LEONINA

## CXXV

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETTIALI  
CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **G R A T I S** ET **S I N E ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CXXIII** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**CENTESIMAM VICESIMAM QUINTAM (125) !**

## **ARGUMENTA**

**DE ITINERE AD INSULAM NIVARIAM FACTO (Marcus Cristini)**

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS  
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

***Cara Lectrix, Care Lector,***

*maximē gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam centesimam vicesimam quintam.*

*Hac in Epistulâ agitur de Florâ Insulae Nivariae, quae vulgo vocatur Teneriffa. Tibi praebeo mirificum Itinerarium botanicum, quod scripsit Marcus Cristini Italus multis iam periodorum symbolis de Latinitate vivâ optimē meritus. Idem Marcus nuper in Certamine Latino Salesiano narratione quadam Latinâ honestatus est praemio secundo. Quae narratio inscribitur »Somnium philologi«.*

*Verbis efferendum est Marcum Cristini non sôlum perbene callere linguam Latinam, sed etiam artis photographicae necnon disciplinae botanicae esse peritissimum.*


*Quae cum ita sint, hanc Epistulam Leoninam 125 tolle et lege et laetare et ... pancraticê vale et perge mihi favere!*

**Medullitus Te salutat  
Nicolaus Groß**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS  
Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
die Saturni, 11. m. Mart., a.2017**



Cato Uticensis a.46 a.Chr.n. quomodo ipse se interfecerit. Circa a.1646 pinxit *Charles Le Brun*.

**VICTRIX CAUSA DEIS PLACUIT, VICTA CATONI.**

LUCANUS, Bellum civile I 128.

# De itinere ad Insulam Nivariam facto

*Ubi utique facillima vivendi ratio est hominibus:  
non nix neque hiems multa, neque umquam imber,  
sed semper Zephyri argute spirantes auras  
Oceanus emittit, ad refrigerandum homines.  
(Homeri *Odyssea*, IV, 565-568<sup>1</sup>)*

Viri mulieresque hodie saepe feriis aestivis fruuntur, quas degunt in regionibus ab aris focusque patriis remotis, ut post innumerabiles labores cotidianos, qui animos corporaque continenter terunt, postque curas diurnas, quae mentes ingeniaque haud raro fatigant, paucis diebus requiescant et naturae miraculis artiumve operibus claris gaudeant. Alii montes petunt, alii urbes illustres, alii caerulea aequora - ut breviter dicam, trahit sua quemque voluptas<sup>2</sup>. Periegetae multi, Germani praesertim Italique, qui oras arenosas et liquidissimam caeli tempestatem exoptant, ad Insulas Canarias, quae olim haud perperam Insulae Fortunatae sive Beatorum appellabantur, pergunt, cum terrae sint Europaeae quoad leges moresque et Africanae quoad caelum mareque. Illis autem locis non solum litora infinita et undae vitro splendidiores inveniuntur, sed etiam arbores pulcherrimae, quae in Insulis tantum Canariis crescunt. Inter eas venustate plantae succulentae excellunt, quae paucis imbris guttis contentae ubique in insulis vivunt.

Mense Augusto a. 2016 ad Nivariam (sive *Tenerifam*) aeroplano volavi, ut succulentas Canarias (illasque praesertim, quae ad familiam *Crassulacearum* spectant) non solum cultas cognoscerem per speculum in aenigmate, sed etiam ut ipsas facie ad faciem<sup>3</sup> in eorum patria viventes spectarem, et inveni ingentem plantarum copiam, quas periegetae, solis tantum pelagique sitientes, plerumque neglegunt. Volumina symbolaeque de arboribus harum insularum complura scripta sunt, Latine autem numquam, his saltem temporibus, qua de causa haud inutile arbitror pauca de succulentis locisque Insulae Nivariae scribere, ne Latinitatis moderni cultores ignorant terram

---

1 HOMERI *Odyssea Graece et Latine*, int. S. CLARKE, vol. I, Londini 1810 (editio quarta), p. 149. Graece: τῇ περ όγιστη βιοτῇ πέλει ἀνθρώποισιν· / οὐ νιφετός, οὔτ' ἀρ χειμῶν πολὺς οὔτε ποτ' ὅμβρος, / ἀλλ' αἰεὶ Ζεφύρῳ λιγὸν πνείοντος ἀήτας / Ωκεανὸς ἀνίσιν ἀναψύχειν ἀνθρώπους.

2 VERG. *Ecl.* II, 65.

3 cfr. *I Cor.* 13,12.

illam tanta plantarum varietate ornari, ut quisque aliquid invenire possit quod miretur.

Insula Nivaria est omnis divisa in partes tres (more Caesariano), quarum unam solitudo tenet, aliam mons ignivomus celsus, tertiam quae incolarum lingua laurisilva, Latina eodem modo appellatur. Hae omnes tempestate, arboribus, solo inter se differunt<sup>4</sup>. Pars insulae meridionalis admodum arida est, litoribus autem arenosis tantopere abundat, ut periegetae multi illic ferias degere cupiant. Partem medium mons ignivomus *Teide* (3718 m) tenet, cuius latera silva tegit cuiusque culmen sicciissimum est ac saxis olim liquefactis, nunc nigris tactuque calidis, dives. Pars septentrionalis, amoena nemorosaque, arboribus dumisque abundat, eius autem orae multis anfractibus inaequales sunt parumque aptae et ad natandum et ad navigandum.

Succulentae ubique inveniuntur, sed varietas eorum maxima est ubi Boreas spirat, qua de causa deversorum elegi in Portu Crucis (Hispanice *Puerto de la Cruz*), urbe periegetis satis grata quae media ora septentrionali iacet, unde tam expedite ad promunturium insulae orientale perveniatur, quod *Anaga* vocatur, quam ad montes occidentales, quorum regio *Teno* appellatur. Partem litoris septentrionalis medium arva uberrima occupant, ubi musae frutices<sup>5</sup> coluntur. Museta haec viridia frondentiaque pulchra sunt aspectu, noxia tamen plantis Canariis, quas agricolae sine misericordia evellunt comburuntque, ne lucem aquamve musis subducant.



Musetum prope Portum Crucis situm

<sup>4</sup> cfr. CAES. *Bell. Gall.* I, 1, 1-2.

<sup>5</sup> *Musa paradisiaca*, i.q. hisp., ital., angl. *banana*. +mūsa, -ae f. est vox mediaevalis per arabicam e sanscrita lingua derivata. \*mūsētūm, -ī n. (cfr ital. *bananeto*) est seminarium talium plantarum.

Hic illic rara, solitaria ac vetustissima *Dracaena draco* tantum manet, arbor quoque draconis vel simpliciter draco appellata, succulenta mira, quae lentissime crescit cuiusque resina rubra antiquitus ingenti pretio emebatur. Rami eius nodosi ad caelum tendunt atque in extremis altioribusque partibus folia pauca atque acuta gerunt, ita ut arbor haud dissimilis videatur giganteae umbellae. Guanchi, antiqui incolae Insularum Canariarum, dracaenam proceram venerabantur; caverna in eius trunco excavata templi vice utebantur. Alexander ab Humboldt, cum Nivariam anno 1799 perveniret, arborem hanc vidit scripsitque eam aetatem 6000 annorum excedere. Pro dolor procella succulentam anno 1867 stravit. Alia tamen dracaena maioris momenti in urbe *Icod de los Vinos* superest, quam periegetae facile visitare possunt, cum crescat media urbe in parvo venustoque viridario. Indigenae hodierni libenter aiunt draconem istum ante Iesum Christum natum esse, botanici autem de eius aetate vehementer dissentunt, cum alii dicant arborem ter mille esse annorum, alii septingentorum. Utrum "millenaria" sit necne, nescio, sed succulenta vero mirabilis est, circuitu 20 metrorum et altitudine 18 metrorum praedita. *Dracaena draco* brevi tempore floret decimo quinto quoque anno, igitur terque quaterque beati sunt, quibus flores hos candidos spectare contigit!<sup>6</sup>



*Dracaena draco 'millenaria' in urbe Icod de los Vinos*

Si *Icod de los Vinos* relinquimus et, autoraeda vecti, ad orientem pergimus, mox in regionem Tenianam ingredimur, ubi succulentae copiosae robustaeque crescunt. Die 13 m. Augusti ad pagum *Teno Alto* me contuli et sedulus collem aridum explorare coepi, ubi dumeta erant. Primum succulentas nullas vidi, dein tamen ad vallis latus aliud ivi et illic *Crassulacearum* catervas inveni. Qua de causa parte una vallis succulenta nulla vivat, parte alia plurimae, haud scio, sed

<sup>6</sup> cfr VERG. *Aen.* I, 94-96.

animadverte agricultas idem vallis latus colere, quod *Crassulaceae* diligunt, quam ob rem arbitror ibi solum feracius et, fortasse, aquarum ditius esse. Succulenta prima quam conspexi *Monanthes laxilora* est, planta pusilla, minimis ex foliis constans, quae libenter super muris lapidibus factis vivit.



*Monanthes laxiflora*

Eam aspicienti mihi venit in mentem arva quoque in Alpibus saepe parvis muris cincta esse, quos succulentarum species inhabitant, quae pertinent ad *Crassulacearum* familiam, ut *Sedum album*, *Sedum acre*, *Sedum dasypodium* vel *Petrosedum rupestre*. Ergo tam in Insulis Canariis quam in Europa *Crassulaceae* muros sicclos petrososque diligunt, mutatis autem speciebus.



*Monanthes laxiflora* super muris ex saxis factis crescit



*Sedum album* et *Sedum acre* inter saxa parvi muri Alpini

Paulo post virgulta plurima *Aeonii haworthii* inveni, quod succulenta est multo maior quam *Monanthes laxiflora*. Est enim planta statura humana parum inferior ex multis foliorum “rosis” facta, quae more arborum multis ramis crescit et saepe globos virides creat.



*Aeonium haworthii*

Vivit una cum *Opuntia ficu-indica*, quae ubique in Insulis Canariis crescit. Historia eius scitu est digna, cum succulenta haec in Mexico nata sit, Hispani autem, regione hac potiti, succulentam ad provincias Imperii sui cunctas secum tulerint, ut fructus opuntiae ederent. Quae, aqua minima sōloque pauperrimo contenta, raptim extra viridaria hortosque tam bene crescere coepit, ut crebro detimento esset aliis plantis indigenis.



Flos *Opuntiae ficus-indicae*

Hodie *Opuntia ficus-indica* in America, Europa meridionali (e.g. longe lateque in Sicilia), Africa, Asia Oceaniaque vivit. In Insula Nivaria occupat valles angustas, scopulos iuxta Oceanum, montium cacumina et campos latos, ubi ante Hispanorum adventum *Euphorbia canariensis* vivebat, quae succulenta est candelabro haud dissimilis, cum eius rami, ex uno trunco surgentes, alti, crassi et sine foliis sint. Flores rubros inter mensem Aprilem et Augustum in lucem prodit.



Flores *Euphorbiae canariensis*

Hodie *Euphorbia canariensis* saepe una cum *Opuntia ficus-indica* vivit, aliena autem succulenta fecundior est celeriusque crescit: imperium insulae futurum opuntiis, haud euphorbiis erit.



*Euphorbia canariensis*

Alia succulenta prope vicum *Teno Alto* vivens est *Aeonium urbicum*, quod copiose crescit prope viam ad pagum ducentem.



*Aeonium urbicum*

Ut dicam more Vergiliano: verum haec tantum alias inter caput extulit *Crassulaceas* quantum lenta solent inter viburna cupressi<sup>7</sup>. Nam metra duo est procerum foliisque spathulatis satis magnis in culmine est ornatum. Vere adulto vel aestate plantae maiores floribus candidis onustae sunt, quibus autem siccatis succulenta perit. Cum Insula Nivaria ventosa sit et semina unum *Aeonium urbicum* multa milia pariat, media aestate plantulae crebrae conspicuntur. His lectis nemo est qui miretur speciem hanc multis in insulae partibus crescere, cum ventus semina quocumque afferat eaque extemplo radices penitus immittant.

---

<sup>7</sup> cfr. VERG. *Buc.* I, 24-25 (Tityrus): Verum haec (sc. Roma) tantum alias inter caput extulit urbes/ quantum lenta solent inter viburna cupressi



Inflorescentia sicca *Aeonii urbici*

Si regionem Tenianam relinquimus et ad Portum Crucis redimus, hic quoque succulentas invenimus. Inter oppida deversoriis villisque opulenta, Oceanum undosum et museta uberrima rupes sunt, valles collesque, ubi arbores indigenae adhuc vivunt. Exempli gratia pedibus viam calcavi, quae Aquae Semita (Hispanice *Sendero de agua*) appellatur quaeque a Portu Crucis usque ad Apopsim Sanctum Petrum (Hispanice *Mirador San Pedro*) dicit. Ibi Crassulaceas nonnullas vidi profecto pulchras, sed ob pluviae inopiam paululum maestas. Ut paucis verbis dicam, mense Augusto Aquae semita indiget aqua!



*Aeonium arboreum* var. *holochrysum*

Ad succulentas tamen redeamus. In saxis iuxta callem *Aeonium arboreum* crescit, quod botanici *Aeonium arboreum* var. *holochrysum* appellant, ego, brevitatis causa, hinc tantum *Aeonium arboreum* vocabo. Speciem hanc Carolus ipse Linnaeus, plantarum animaliumque ordinator, anno 1753 in volumine suo artis botanicae fundamento, quod *Species Plantarum* nuncupatur, his verbis descriptis: *Sempervivum caule arborescente laevi ramoso*<sup>8</sup>. Linnaeus plantam sempervivum appellabat, cum genus *Aeonium* saeculo XIX

<sup>8</sup> CAROLI LINNAEI *Species Plantarum*, tomus I, Holmiae 1753, p. 464.

excogitaretur, succulentam autem bene cognoscebat scribebatque eam in Lusitania, Creta, Corcyra et Zacyntho habitare. *Aeonium* enim *arboreum* iam Romani Graecique colebant, ut pulcherrima huius plantae imago in *Codice Aniciae Julianae* (vel *Codice Vindobonensi*) Dioscoridis *De materia medica* libros custodiente saeculo sexto ineunte exarato ostendit. Cum nautae antiqui aliquando ad Insulas Fortunatas (seu Canarias) navigarent, ad Europam secum plantas nonnullas tulerunt, inter quas verisimile est fuisse etiam *Aeonium arboreum*, quod ab antiquitate in Europa colitur.



**Aeizon to Mega (*Aeonium arboreum*)  
in Codice Aniciae Julianae depictum**  
(fons: Vicipaedia)

Aquae semita ambulans succulentam aliam vidi venustam, *Aeonium canariense* var. *canariense* (hinc *Aeonium canariense*), quod Linnaeus his verbis expressit: *Sempervivum caule foliorum ruderibus lacero, foliis retusis*<sup>9</sup>. Planta est satis magna et saxa petrosasque rupes diligit, ubi vivit passim et gregatim. Eius folia villosa sunt, cum pilis plurimis minutissimisque tegantur. Hoc non elegantiae, sed defensionis causa facit callidum aeonium. Insecta enim, quae folia edere cupiunt, pilis impediuntur et haud raro vinculis talibus vincta moriuntur inedia. Si quis succulentam hanc miram colere velit, caveat autem, ne soli grana, quae foliis haerent, maculent aeonii pulchritudinem.

---

<sup>9</sup> CAROLI LINNAEI *Species Plantarum*, tomus I, Holmiae 1753, p. 464.



*Aeonium canariense* var. *canariense*

In rupibus succulenta tertia conspicitur, *Aeonium tabuliforme*, humile, rotundum patinisque simile. Planta haec praerupta amat et ad terrae perpendiculum saepe crescit. Eam photographare haud facile est, cum rupes ascendere necesse sit: quid non mortalia pectora cogis, succulentarum sacra fames!<sup>10</sup>



*Aeonium tabuliforme*

Aquae semita relictia, iter ad regionem Anaga feci pagum *Chinamada* petens, ubi *Crassulaceae* permultae vivunt. Adveniens tempestas pessima erat, nebulosa caliginosaque, et effusis imbribus ventus spirabat haud lenis. Cum autem in calle ambulare inciperem, pluvia nebulaque, fortuna favente, abierunt. Extemplo vidi frutices frequentes *Aeonii lindleyi*, succulentae media statura, foliis crassis modiceque villosis, inter saxa et super muris petrosis crescentis.

---

<sup>10</sup> cfr VERG. *Aen.* III, 55-57: ...Polydorum obtruncat et auro/ vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis,/ auri sacra fames! ...



*Aeonium lindleyi*

Haec species mense Augusto floret, itaque cum in pagum ingrederer, statim colles aspexi flavos. Iuxta semitam plantae splendidae erant tamque floribus onustae, ut vix folia ramosque viderem. Photographematisbus plurimis factis iter perrexii et *Aeonia urbica*, monanthes, *Opuntias ficus-indicas* necnon *Euphorbias canarienses* spectavi.



Flores *Aeonii lindleyi*

Via quoque, quae ad vicum *Chinamada* dicit, succulentis abundat. In nemoribus enim regionis Anagensis *Aeonium cuneatum* crescit, quod est tanta magnitudine (plusquam metrum unum in latitudinem patet), ut quodammodo dicam *Crassulacearum* elephantem. Scilicet hanc plantam minorem esse abiete quercuve, sed ex ceteris *Crassulaceis* insigniter excellere. *Aeonium cuneatum* vivit media in laurisilva, sub umbra arborum una cum musco filicibusque, in solo semper madido. Succulentae, ut omnes sciunt, plagas aridas siccasque malunt, sed eae quoque naturae processu mutantur. Fortasse ante multa saecula semen aeonii cuiusdam radicatum est in hac umida silvosaque insulae parte, crevit floruitque. Eius progenies paulatim se ad locum conformavit, itaque decursu temporis succulenta, quae olim rupes siccas incolebat, apta ad nemora nebulosa habitanda facta est.



*Aeonium cuneatum* est planta quidem magna,  
ut manus auctoris ostendit

His dictis silentio praeterire nolo laurisilvam, Insularum Canariarum decus, quae montes Nivariae septentrionales velat. Nemus est valde amoenum ex arboribus semper virentibus, dumis filicibusque constans muscoque ditissimum. Nam rami truncique paene omnes villis<sup>11</sup> mollibus viridibusque vestiuntur. Periegetae, cum ad silvam hanc pervenerint, saepe mirantur in insula Africana litoribus arenosis ingentibus praedita arbores tam magnas et montes tam aquosos esse, ut momento temporis mens decipiatur arbitrata se nemus Anglicum Germanicumve videre.



**laurisilva**

Sub arboribus Anagensibus *Aichryson* quoque cernitur, *Crassula-cearum* genus minutarum. Species longe clarior *Aichryson laxum* est, quod in altitudinem decem vel viginti centimetra patet cuiusque folia modo valde modo parum villosa sunt. Plantae a me in regione Tenensi visae pilis albis frequentibus satisque longis ornabantur, illae contra,

---

<sup>11</sup> villus, -i m. i.q. muscus arborum, cfr PLIN.nat.12,108 cani arborum villi.

quas in silva Anagensi sub arboribus photographavi, statura erant minores et villum pauperem gerebant.



*Aichryson laxum* in regione Tenensi inventum

Libenter et in muris petrosis et in rupibus et in nemoribus vivunt. Regionem hanc monanthes quoque habitat, quae sine ulla phantasia *Monanthes anagensis* a botanicis appellatur, succulenta pulchra, sed pusilla.

De locis Anagensibus autem hactenus. Periegetae enim, qui Nivariam petunt naturae mirabilia videndi causa, montem ignivomum *Teide* neglegere non possunt, cuius cacumen e mare 3718 m distat et mensibus hiemalibus nive est candidum. Mons ignivomus postremum anno 1909 saxa liquefacta emisit, sed eius culmen adhuc hodie solitudo desertissima inultaque tenet, ubi arbores nullae et succulentae perpaucae crescere audent. Flumina petrarum olim ardentium, nunc nigrarum durarumque hic illic conspiciuntur, aestate tempestas die aestuosa est, noctu autem frigida. Regio simillima est vastitatibus Lunae vel Martis, qua de causa *Nationalis Aeronautica Spatialisque Administratio* (Anglice *National Aeronautics and Space Administration*, vulgo *NASA*) plusquam semel eius machinulas, quibus ad planetas remotos volandum est, his in locis experta est, ut dijudicaret, utrum suae rotae et ordinatra et mechanica bracchia munere bene fungerentur necne.



*Ecce Teide mons ignivomus*

Quod ad succulentas attinet, paucae solitudinem summi montis ignivomi inhabitant, sed nonnullae in eius lateribus crescunt, ut exempli gratia *Aeonium aureum* et *Aeonium aizoon*, quae praeteritis annis *Greenovia aurea* et *Greenovia aizoon* vocabantur, quia botanici, qui aliquantulum litigiosi sunt, longo tempore inter se de harum succulentarum genere disputaverunt disputantque. Alii aliter dicunt, hic utraque nomina scribo, ne iniuriam alicui inferam... Quidquid id est, hae succulentae elegantes sunt, sed in rupibus anfractibusque latent et aestate globosae fiunt, ne sol folia siccet. Bis tantum eas vidi iuxta viam, quae ad montis cacumen dicit. Ibi spectavi aliam plantam, quae *Echium wildpretii* appellatur quaeque in solitudine arida saxis olim liquefactis plena crescit. Facile est visu, cum media vastitate Teidensi succulentae perpaucae crescent et eius inflorescentiae, florum parvis turribus haud dissimiles, ex longinquo conspiciantur.



*Echium wildpretii*

Multa alia mira in Insula Nivaria sunt, ut exempli gratia magnae *Agave americanae*, quae non aliter ac *Opuntia ficus-indica* etsi e

Novo Orbe oriundae Canariis in Insulis crescunt, et eius inflorescentiae ab avibus frequentatae nectaris sugendi causa, vel pagus *Masca* in regione Tenensi, ubi periegetae vallem magnificam admirantur, sed ut ego ante dicendi finem faciam quam vos me tam attente legendi, concludam<sup>12</sup>. Insula Nivaria procul dubio terra est amoenissima tam succulentarum amatoribus quam aliis periegetis, qui solitudinibus aridis, nebulosis montibus, nemoribus muscosis, caeruleo Oceano, litoribus arenosis editoque monte ignivomo frui cupiunt. Ut breviter dicam, in insula minuta imago totius mundi est. Horatius aiebat caelum, non animum mutare qui trans mare currant<sup>13</sup>, sed equidem in hac re a poeta dissentio. Nivariam si spectaveris, animum quoque tuum, licet brevi tempore, mutabis.

***Marcus Cristini***

---

<sup>12</sup> cfr Cic. *Pro Sest.* 136. ...et ut ego ante dicendi finem faciam quam vos me tam attente audiendi, concludam illud de optimatibus eorumque principibus ac rei publicae defensoribus, ...

<sup>13</sup> HOR. *Epist.* I, 11, 27 Tu quamcumque deus tibi fortunauerit horam/ grata sume manu neu dulcia differ in annum,/ ut quocumque loco fueris uixisse libenter/ te dicas; nam si ratio et prudentia curas,/ non locus effusi late maris arbiter aufert./ **caelum, non animum mutant, qui trans mare currunt.**



**MARCUS CRISTINI (\*1992)**

Italus Brixianus Laureatus  
Universitatis Catholicae  
Sacri Cordis Mediolanensis

ITER SUUM AD INSULAM NIVARIAM FACTUM  
DOCTE ET GRAPHICE DESCRIPTUM PULCHERRIMIS  
PHOTOGRAPHEMATIBUS INSTRUXIT

**MARCUS CRISTINI ITALUS BRIXIANUS**

NON SOLUM PALAEOPHILOLOGIAE SED ETIAM  
DISCIPLINAE BOTANICAE  
ARTISQUE PHOTOGRAPHICAE  
SCIENTIA ATQUE PERITIA ADMIRABILI  
PRAEDITUS

## **ECCE LIBRI LEONIS LATINI**

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipue disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non éditur in domunculā Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretiale (i.e. anglicē »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimē eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeratas, quibus operam dedit illis creandas.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIΣ AEI.*

# INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR .	Num. mand a- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE- TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAЕ	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenma tt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptman n	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAЕ	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIMUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	--	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207	978-3-	OBSIDIO SAGUNTI A	Livius	_____	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

	A	938905-28-9	T.LIVIO DESCRIPTA						
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,**

**USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
CENTESIMAM VICESIMAM QUINTAM**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**

**die Saturni, 11. m. Mart., a.2017**

**Nicolaus Groß**

**LEO LATINUS**

**<http://www.leolatinus.de/>**